

PRAEFATIO.

gulas deprehendere, suo quamlibet loco, possint. Nolui autem, cum tot alii hujus ordinis, qua libri, qua libelli, prostent, recoquere crambem, qui lubentius ad jam prostantes & obvios remissem discipulorum industriam. Igitur altius prospexi omnino, cum Breviarium hoc exegeticum in Vittembergensi Academia dictarem in calamum, ut nimirum *pleniorē* rei *exegeticae* ideam traderem meis, ejusque illos vel in primis disciplinae rudimentis, quantum ejus fieri posset, facerem compotes. Ita enim futurum putavi, ut e carceribus emissi pulcriorem inirent cursum, atque ad metam eo felicius pervenirent. Ut igitur rectius intelligar, dicam hic nonnihil, sed breviter ac summatim, de *Desideratis Exegeticis*, quorum curam, dum Exegeſin docerem, prā oculis habui. Interi-